

Hs. fol. 27^d.

Magistro Iordano Iohannes de Capua.

Fatentur parvuli nec diffidentur excelsi, probabiles etiam coniecture innuunt et signa credibilia firmiter attestantur, quod usque ad Kalendas Octobris quiescente publico tinnitu^{a)} aurium et vacante generali obsequio calamorum et chorde^{b)} subditorum in pendulo et organa ministrorum maneant in suspenso¹⁾. Quia vero pietas altissimi per vos angelum suum me dignatur assidue consolari, humili supplicatione deponco, quatenus solite benignitatis affectu mihi a domino²⁾ nostro licentiam impetretis, quod pro quibusdam causis legitimis necessitati mee ac etiam ordinis mei profectui quamplurimum oportunis versus Urbem iter aggredi et ibi usque ad festum omnium sanctorum³⁾ cum sue benedictionis gratia valeam commorari. Si vero meum presens desiderium vestre industrie circumspecte videatur indignum, iubete illud transire cum sompniis⁴⁾ et mihi legem, iuxta quam diebus istis dirigi debeam, salubriter disponatis, ascribentes simplicitati laudabili et non improvide levitati, quod ad vicem^{c)} sincerissime devotionis et [ad] concepte^{d)} de vestra gratiosa mansuetudine fiducie specialis indicium candidas et caritate conspicuas manus vestras totiens implico multitudine litterarum. Ceterum gloriosis meritis beatissime virginis, quam devoto spiritu et corde mundissimo frequentissime salutatis, patris eterni filius de ipsa clementissime incarnatus et dies vestros in longum votiva prosperitate hilares et tandem perpetua reddat iocunditate felices.

XII.

Papst (Urban IV.) an König (Bela IV.) von Ungarn; beklagt das Zerwürfnis des Königs mit dessen erstgeborenen Sohn S(tephan V.) und teilt mit, daß er zur Schlichtung des Streites an Stelle eines Kardinals, der nicht so rasch kommen könne, zunächst seinen Poenitentiarius und Kapellan Frater V(elascus) entsende.

(1263)⁵⁾.

a) Übergeschrieben sono Hs. b) corda Hs.; zur Konjektur vgl. Ps. 150, 4
c) vice Hs. d) concepta Hs.

¹⁾ Vgl. Ps. 136, 2.

²⁾ Papst Alexander IV.

³⁾ 1. November.

⁴⁾ Eine ähnliche Wendung (transeat cum ymagine sompniorum) auch in dem Brief des Johannes von Capua bei Sambin, *Un certame dettatorio* S. 23 Zeile 5.

⁵⁾ Zur Datierung oben S. 186 f. Nr. 96.